

CONSIDERATIONES
Circa Electionem futuri Regnantis.

CONgaudeo tecum, Chariſſima Patria, de eo, quòd habeas Domi tuæ non ſolùm decora ingenia, ſed etiam ab extra numeras Coronæ Tuæ alti ſangvinis Competitores. Olim erat, vacante Sceptro, Concivibus Tuis præfigere ſtadium; qui pernicitati equorum confiſi, illud decurrerent, braviumque Coronæ acciperent. Sed cùm in ſtadio illo dolum & aſtum deprehendiſti, per infixos ferreos clavos, qui cæteros læſerant equos, uni ſoli inoffenſo tramite relicto, ampliùs barbarum ſequi noluiſti morem, quem à Perſis quondam mutuaſti, ſeu in curſu, ſeu in hinnitu equorum, ſeu in ortu Solis, Principis reponendo Electionem. Ergo te ad prudentiam humanam, quæ imitatur providentiam Divinam, convertiſti pluribus jam à ſæculis; hanc quamdiu coles, aſtus & dolos vitabis, & ſerum evitabis pœnitere. Unde Magnos Principes, ſi qui Tuam ambiunt Coronam, humaniſſimè recipe & audi, & maturo judicio expende. Generis claritudinem, ſi cætera non adſint, cave: vel ſi adſint, & tibi non quadrant, dimitte: claritudo tua tibi ſufficiat. Olim Premyslià ortos Aurifices, ad Sceptrum aſſumpſiſti, nec te pœnituit induſtriæ ejus. Poſtea Cruſvicia dedit Piaſtum, aliàs Rotarium: ejus te pietas & liberalitas traxit. Quatuor ſæculis hæc Domus imperavit glorioſè: ſacram induxit Religionem, Majeſtatem Regni, & Senatum legibus fulcivit. Aſſumpſiſti Bathoreum, Virum origine Nobilem, virtute Tranſylvaniæ Principem, tandem & Poloniæ Regem glorioſum. Aſſumpſiſti nuper è medio tui intra æqualitatem natum, benedixit ei Dominus; ſub auſpicia ejus ibant Auguſtarum Familiarum Principes, Imperatorum progenies, pugnârunt glorioſè, & triumphârunt de hoſte Chriſtianitatis: Polonia verò viginti per annos Nominis ejus Avito ſub Umbone vixit. Ergo magnos in Principe noli quærere Natales; quemcunque in Regem elegeris, uno minorem Chriſti Vicario in Throno locabis.

Proinde his vacua curis, Virum quære, quem olim Romanus deſtinabat Senatus, ſcilicet: ut non timeat bella, nec provocet; qui ſi enituit in bello, non obſoleſcat in pace; quem ſi Toga honeſtat, ſimul & Sagum. Nam ſi fuerit tantùm militari gloriâ paſtus, enutritus, bellum ex bello ſeret, averſabitur pacem ut peſtem; erunt manus ejus contra omnes vicinos, & vicini ejus contra eum ſolum. Sic Reſpublica ſuccumbet, nec guſtabit pacem, quæ una triumphis innumeris potior. Unde ſit cum venia dictum, Magni olim Bellatoris Principis Condei, & Sereniſſimi ejus Nepotis de Conti, quòd hic Sangvis Regius nunquam potuit, aut voluit eſſe Togatus. Quòd non potuit, ratio ſumma: quia Togata Nobilitas in Gallia eſt claſſis ſecundæ: Nobilitas Sagata, cujus Caput Monarcha eſt, prima eſt, inferiorem deſpicit, cujus Caput Cancellarium Regni autumat. Hanc Tribunalia Regni regere, juſtitiæ præſidere, tractatus pacis, jura Regni, proventus Regios gubernare, militarem gloriam ſolam præ oculis habere: Sagatam Nobilitatem bello invictam, armis indomitam, morti impavidam, periculis gaudentem, in arma ruentem, Collegia literaturæ vix primis labris attingentem: Academias vocat & petit, ubi equeſtria exercitia tenet, artem pugillarem, & Mathematicam militarem poſſidet.

Talis olim & noſtra Nobilitas fuit, donec ſucceſſu temporis manſveſceret, id poſcentibus vicinis, hactenùs quietem non habentibus; ſvadente quiete juſtitiam, in tantum, ut non minùs armatam, quàm togatam habeamus Nobilitatem. Talem requirimus Regem,

utraque Cæsarem. Unde Serenissimi Condei, & Sangvinis ejus, magna apud nos æstimatio; sed ad Electionem perplexitas summa: cùm ad Dunkierkam illa de eo fuerit fama, quòd in expugnatione ardua operum semilunarium, lunas dentibus apprehendisse, & detraxisse diceretur: Przyiemscio nostro legionem Polonam ducente, ibidemque magna ex parte occumbente. Alterum, quòd ad Zenefam mille quingentos militiæ Præfectos [expugnato quidem hoste] amiserit, dolente ipsâ Galliâ, & fatente celsum sangvinem ad prælia natum, indomitum, præcipitem in mortes animum, quod Gallicana, imò & Romana pandit Historia. Eò tandem experientiæ venisse, ut ipse Monarcha Gallorum subalternum in bellis hunc Principem esse voluerit, metuens, ne exercitus ejus in mille discrimina daretur, & securitas Regni. Habuimus hic triginta ante annos Principes Gallorum Gramontios, hi Regem Casimirum in Moschoviam secuti id solùm egerant, ut præcipites sinè lorica, contra Cosacos intra valla abditos, certo ictu sternentes invasores, ruerent, ad eamque æmulationem Familiarum Principes accenderent: quo viso Rex juvenilem inhibuit temeritatem, imposito mandato, ne aperto pectore, strictis gladiolis, crederent se munitiones aggredi & expugnare posse; ut priùs illi Principes, genus pugnandi in Polonia, longè à Gallico diversum, discerent; demùm si vellent, pugnarent. Multa igitur in Electione Principis de Conti cavenda, maximè verò, cùm & Gallia eo solo Principem Turenum, magis sibi acceptabilem reddidit, quòd ille hoc primo in bellis moderato sangvine & fervore suo, id ipsum curavit, ut mallet unum servare Civem, quàm mille hostes perdere. Qui Princeps, si à Polonis ultro per Electionem à Gallia peteretur, nunquam dimisisset Gallia tantum Heroëm sibi salutiferum. Adde, quòd in Polonia lege vetante, non Rex, sed belli Duces regunt militem stipendiarium. Nobilitatem solus Rex contra hostes ducit, eumque sequitur, quem elegit in Patrem sui amantem, id unicè curantem, ut servetur in illo Respublica, & sangvinis dispendia vitentur. Quæ non obliterata tenet memoria sub Joanne Alberto, brevis Imperij Rege, qui multum Nobilitatis Polonæ florem amisit in Valachia, solius gloriæ avidus, invisus tandem obijt. Adde insuper, quòd nimiùm martiales animi sint impatientes longioris in Throno sessionis, ut visum est in Henrico Valesio Electo nostro, cujus martialem gloriam, expugnationes urbium, audiverunt majores nostri à Legatis, receperunt omni cultu in Poloniam, devotione summâ, spe maxima. Cumq; casu primo ipsi obvenit Judicium Regium, sedit pro Tribunali integrâ circiter horâ, tandem sessionis impatiens, dixit ad Assessores Senatorij ordinis: Per Deum Domini Poloni, putabam me Regem Vestrum Electum, & ecce video me fieri Juristam. Quod mali jam tum ominis erat, de fixando in Regno Mercurio, qui ductilitatem auream non recipit. Ideoq; à toto Senatu rogatus per conscientiam recentis juramenti: ut mox ventura expectaret Comitia, quæ non durabant olim nisi per quatriduum, vel ad summum per sex dies; non sustinuit moram, quæ gravis putabatur. Quæ ad moderna tempora est consequentia? ubi Comitia in longissimum extrahuntur tempus, fastidiosâ Regis sessione; quid judicia? disceptationes longæ? quanto hic & quàm ductili in Principe egemus auro?

Legem habemus indubitatam, quâ apud Nos, non nascuntur, sed eliguntur Reges; ita tamen, ut omninò non excludamus Regiam Progeniem: adeò, ut ex anteactis habeant Principes, quid in futurum sperent: si rectè regant, si svaviter imperent, si dulcem sui memoriam relinquant per rectè facta, quæ Regiæ Proli Paterna ad sceptra pandat viam; intantùm, ut quicunq; nostrûm bona Regalia jure advitalitio possidet, privilegio Regis, illam possessionem [ut arbitramur] cum vitâ finiendam: Ita majori curâ & sollicitudine, hæreditarias sortes conservamus pro filijs, & seris nepotibus. Simili modo de regnante Principe supponimus, quod is, si certo certiùs sciret Prolem suam Paternorum meritorum recordatione, ad Regnum non promovendam, nunquam tam sollicitus de conservatione hujus Patriæ viveret, Regiæ proli suæ, extra Patriam provisurus. Unde quæ in Repub. emergerent pericula? quæ populorum sinè Paternâ in Rege curâ miseriâ? Pridem libertas Germaniæ, hanc quam Poloni metuunt, experta est sortem: quamdiu ferentariam, per familias Principum, Imperialem Coronam habebant; quot divisiones, exterorum factiones, diffidentiarum atroces experti vices; quas aversati, Habspurgensem Comitem, ubi elegerunt, & intaminatam pactorum fidem in eo repererunt, tam Catholici, quàm Hæretici Principes adhæserunt, ut & avitam libertatem eligendi Imperatoris sui servent, & successionem Augustæ Domûs, non interruptè currere sinant; cantus

tus Gallicos, universam Germaniam excitantes, temnant; ad conservationem libertatis, si in eadem domo diu permanserit, non moventur his cantibus Germani, quia Augustæ Domûs bene perspectam habent pietatem, fidem germanam norunt, Procos ex Gallia admittunt, ubi Germanas aliquando elocant, sed Gallorum nuptias non procantur, Anglicanas, Hispanicas, Portugallicas, Pedemontanas, imò & Polonas legentes Historias, quanti constiterint Gallicæ nuptiæ. Sed hæc intra Parenthesim. Lumine naturæ jus æquitatis servatum semper est in Polonia, salvâ gentis libertate, observatum in vicina Germania: ubi & gratitudo erga benè regnantes, & libertas electionis compatibilia sunt. Observatum in Rege Sigismundo III. qui Paternò ex Regno exul unà cum amicis, una cum sorore, non solùm advitale in Polonia habuit Regnum, sed in filijs quoq; regnavit: in amicis Polonam hospitalitatem Indigenatu, & connubijs Polonorum, & Lithvanorum insertis, ad maxima quæq; in Regno admissis. Quid ad præsens dicam de Serenissima Joannis III. Prole? nonne recenti memoriâ fovet ingentia tanti Regis merita, gloriæ suæ augem? ut in nupera vidimus, & probavimus Convocatione. Crediderat aliquis, facilè Regiam Prolem redituram, ad pristinam Parentis sui æqualitatem, in qua & natus erat: huic propositioni restitit penè universalis sensus; Regiam prolem ut antea Regali in statu conservandam ex validis rationibus: nimirum hoc exemplo, nullus amplius Regum, merita sua post mortem valitura speraret, si non valerent Joannis III. Nullum ab extra assumptum, pacificè in Polonia regnaturum: tot habiturus obstacula, quot Principes conditionis Regalis memores. Totus Senatus, à Patre eorum creatus, ijsdem compateretur: tota Nobilitas beneficijs in publico & privato obligata, dulci memoria Patris, & filiorum pasta, extero Regi incognita, Sangvine, sermone, climate, humore, more, & re, defuncti Regis Filijs sociata. Adde, Regiam prolem, vel Regali fastigio eminentem, vel ad æqualitatem redactam, utraq; externo Principi gravem, in Regali conditione æmulam, intra æqualitatem existens, securitati suæ providens, quid non ageret? quos non cieret in populo affectus? quos non poneret regnanti obices? Et si tantùm valuit Soror Sigismundi Augusti sangvine Regio, quod prævaluit Maximiliano Imperatori, inito matrimonio cum Bathoreo: Si prævaluit Archiduci Maximiliano Sororino suo, assistens Sveciæ Principi, quomodo omnia pacata sibi pollicebitur externus Princeps Regiam adversùs Progeniem, in quâ Primogenitus ut animo, ita & corde præpollet, cæteri succrescunt.

Tertio. Quod in electione Nostra cavendum, non hoc, quod Illustrissimus Galliæ Legatus dicit, cavendum à vicino Candidato; & allegat dicta Zamoyscij, ex relatione Domini Fredro Castellani: Cave Polonia ab Austria: Hæc in eo statu est, ut ab illâ, nihil habeat timendum Polonia, cùm ad Regnum nostrum non concurrat. Electionem bis in domo habuit suâ, mordicùs illam non tenuit. Cracoviam pignoris loco tenuit & dimisit, contenta Polonâ vicinitate, quamdiu bonâ tenet non cavet, nisi cæperit esse mala. Zamoyscius Domui Suæ præcavebat, ne aliquando Princeps Austriacus regnaret; hanc ipsi cautionem crebriùs occinente hortulano quodam Italo, quem Vir magnus ad confidentiam admiserat: is præcaverat, ut ab Austriâ periculum sibi imminere crederet, post captum Archiducem Maximilianum; & ut caveret sibi, voluit præcautam esse Rempublicam, minimè reflectens in Austriacâ Domo Germanam manere fidem, nec Italos mores integra per sæcula memores vindictæ, inter Gvelphos & Gibellinos in Italia servatos. An non justiùs præcavendum Poloniæ, à vindicta exclusi Principis Condei? cùm Orator Gallus defunctam Reginam asserit esse Italam, & Sororem Suam Palatinam, Matrem Serenissimæ de Conti Italam esse constat. Ergo in Principe Conti, cresceret vindicta exclusionis Patrui sui, quam promoveret Serenissimę Consortis suæ, ex Matre & Matertera Italus Sangvis, tertius Serenissimi Candidati ex Matre itidem Italâ. Hâc suspicione quidem ex allegatione Zamoyscij Civile bellum motum Sigismundo III quasi Poloniam desereret, & secundo inito Matrimonio in Sveciam redire intenderet, traditâ Austriacis Polonia: Sed hoc falsum fuisse, victoria Sigismundi evicit, quâ modestissimè usus est, nec vindicavit calumniam, & supremâ voluntate testamenti sui, morte comprobavit innocentiam. Et Polonia ipsa Reginas suas ab Austria petens, sanctitatem earum, probitatem morum, libertatis Polonæ amantes cognovit, Regum regimen non turbando, ad se Regiam autoritatem non derivando, pro decore Gentis, etiam in Austria zelando, cùm ne sedere quidem Regina Cæcilia cum Imperatrice voluit, stantibus Poloniæ Senatricibus quæ eam comitatæ fuerant. Unde series Reginarum Austriacarum

ſemper glorioſa fuit; Caſimiro Jagellonidi quatuor Reges Poloniæ, quintum Ungariæ & Bohemiæ genuit; Sanctum cælo genuit Caſimirum Sigismundo nupta altera, ſanctitatem Matrimonij, & patientiam coluit. Sigiſmundo III. primo voto, glorioſæ memoriæ Vladiſlaum IV. altero voto quarta Auſtriaca Regem Caſimirum, Principes Joannē Albertum Cardinalem, Carolum re & nomine pium Epiſcopum, & Alexandrum Principem genuit. Sexta Auſtriaca Vladiſlao magnæ indolis immaturam genuit prolem. Septima brevi Michaëlis Regis regimine, Regiarum virtutum odore replevit gentem. Quod autem Ungariæ & Bohemiæ, tragica ad horrorem noſtrum citantur exempla, legatur Hiſtoria. Vngaria Turcicam induxit potentiam ad ſe perdendam, & Auſtriam, & Chriſtianitatem, A ſæculo ut liberam Auſtria defendit, nonniſi ergo Victori ceſſit Auſtriaco, ceſſit ut mancipium Turcicum, ut fidei & Chriſtianitatis hoſtis. Similiter prævaricata Bohemia, quæ exactâ fide, pulſis Epiſcopatibus, reddita hâc ipſa Dominicâ cùm Evangelium legebatur: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO. Hæc ut terriculamenta Polonis proponuntur de propinquo, remota celantur, etiam ipsâ in Gallia: in qua nonne fuerunt ſtatus? nonne fuit libertas Ordinum? nonne Comitia? nonne Jura antiqua Galliæ, quibus jus erat liberè dicendi, & Monarchas ſuos declarandi minorennes etſi maturos ætate, & grandævos, cùm de alienatione Provinciarum ageretur. Hæc omnia non ita pridem fræna ta, & ad abſolutum perducta Imperium. Nonne à Gallia timent Anglicana Parlamenta, tria Anglorum Regna, & tot experiuntur diviſiones, ne tres illæ Gentes ſint liberæ, ne ſint potentes, ut diviſæ ſoli Galliæ ſerviant. An Gallia ſinit eſſe Germaniam liberam, ſubjugatâ Lotharingiæ libertate, ſubjugatis quatuor Electoratibus, ſubjugatis liberis civitatibus, & in ſervitutem redactis? Libertati fœderati Belgij ſuccurrit, cùm excutiebat jugum hæreditariū ab Hiſpanis, eandem poſtea inundavit armis, ægrè dimiſit, cùm Germani periclitātibus pararent ſuccurrere inferioris Germaniæ populis. Nunc tam cruentum cum Galliâ geritur bellum, pro ſola libertate, quam tam Marte quàm arte moliebatur occupare. Unde ſi ab Auſtriacis liberæ genti cavendum, tantò magis ab ijs, qui æſtuant anguſto limine mundi; cùm jam pridem ſitim Provinciarum extinctam cernimus in Auſtria, & ortam in Galliâ: quam à Poloniâ diſtare, ignarus rerum dicet: cùm non procul à Poſnaniâ diſtanti Berolino minaretur, niſi Stetinum reſtitueret Sveco; imo & Dantiſco mari vicino bombardationem. Quæ conſideratio non levis momenti fuit apud defunctum Regem noſtrum, quam ipſi olim Galliæ Legati non remotam à Poloniâ dicebant Galliam, cùm eidem ſubſidia promitterent Vaſconum: præſertim verò cùm & defunctum Regem non latuit, quantùm Moſchorum Miniſtri Gallicis faverent Emiſſarijs, quid ijdem Emiſſarij, Conſtantinopoli, in Crimea, imò in Perſide agere ſoleant: maximè verò cùm à Gallico Miniſtro, Domino de Lumbres, recto decæterò Viro, toties ab ore audivimus, Polonos, Reges pactis conventis ligare ſolere, ut in quocunq; puncto læſerint pacta conventa, illicò abſolvi à ſubjectione Polonos. At cùm eidem Regi liberrimas claves conſignârunt ad corda hominum per juſtitiam diſtributivam, eôdem Reges, libertatis ſuæ arbitros effecerunt, ut Rex quidquid velit, perficiat in Polonia. Ita Monarcha vincit illorum eloquentiam, vincit jura, vincit Status & Ordines ſi velit, vincit odia, vincit malos, vincit bonos; Unde nullibi fragiliorem libertatem quàm in Poloniâ; nullibi ſolidiorem ad abſolutum Imperij gradum, quàm per juſtitiam diſtributivam, quæ univerſos Reges ſuperat, ſinè diſpendio Theſauri ſui hos elevando, alios deprimendo, ſpirituales, ſeculares, milites, cives, plebejos: eſſeq; ſolum Regem, cui omnia vivunt. Hic Gallici Legati ſenſus, & reflexio. Ergo Rex ex Gallia ſumptus dum habet quod dividat, habet quô imperet abſolutè, quod nobis ſemper timendum; maximè verò cum Dalila Gallica, ubiq; ſive remotos, ſive vicinos debiles reddit Samſones; ubiq; ſecreta populorum rimatur, ubiq; ad amorem ſui delicijs attrahit, & illicijs, ut Princeps, dummodo ei arcana fortitudinis ſuæ pandat, actum eſt & de Principe, & de Gente. Dalila idiomate Sarmatico longinquam ſignificat: ergo Gallica polities eſt, quæ de longinquo venit, ſed Samſones noſtros in ſoporem inducit, in ſinum recipit, ſic allectos delicijs ſternit. Ergo Samſones noſtri, vel Leones diſcerpere ſoliti, dulci ſopore primò obdormiunt, mox & robur amittunt. Non timuerunt Majores Noſtri vicinam in Ungaria Budam, nec Valachiam, nec deſertos circa Boryſtenem campos, ubi militaria capiebant rudimenta. Ubi longinquæ, id eſt Dalilæ tracti illicijs, remotam Galliam petijmus comptuli, delicijs fracti redimus, illâ ipsâ ſequente reduces: ut remotas etiam in Gentes, amoroſa dilatet philtra. De rei veritate Chariſſima Patria dubitas? recentes hujus ſæculi lege hiſtorias. Quis Principum in Europâ phil-
tri

tri hujus expers? Venetam si exceperis Rempub. quam solam alienis periculis cautam sapere videmus, diu noctuq; severa invigilare censurâ in Magistratus & Cives suos. Respice præpotentem Angliam, vide remotam Sveciam & intermediam Daniam, vide Germanicum Imperium, & ejus Principes, considera Italiam, ut missas faciamus tot Insulas transmarinas, quas Dalilæ Gallicæ non adijt philtrum, vel incantatio? Ad nostra redeamus; nonne Gallica incantatio effecit, ut virilium rerum curas Reginæ Gallæ assūpserint, Polonasq; mulieres eò vocaverint hoc tempore? Antea rem domi familiarem curabant, prolis educationem, reditum maritorum intra propria limina præstolabantur, procul à comitijs, procul à cœtu Virorum residentes, honorato vestitu eoq; Religioso incedentes: procul corporis nuditas & gestus; ad manus precatorij globuli, Sacræ historiæ lectio, scribendarum schedularum aversio, maritalium in publico expensarum per mulieres restauratio. Hæc Polona & antiqua morum ratio. Ex Gallia venit, ut mulier priorem præ marito jam nunc occupet locum, ut ad comitia veniat, alia celebrante marito cum Rege, alia celebrante uxore cum Regina; imo celebrantibus maritis comitia sub arbitrio fœminarum supra sedentium, dicta virorum observantium, signa loquendi, quod dedecus Gentis, coturnis Gallicis distribuentium, luxu suo in victu & amictu, sortes maritorum, succrescentis prolis conditionem, miseræ Reipub. extenuationem, Comitiorum protelationem, militum diuturnam expectationem gravantes, Divina humanaq; jura pro libitu examinantes. Serpit malum à majoribus ad minores, ab audentioribus ad modestiores. Quid de Gallico dicam famulitio, quo replentur Domus Magnatum, ne dicam Aulæ? pedissequi & pedissequæ domos regunt, supplantant mores, & carpunt antiquas consvetudines; magistri cæremoniarum, elegantiarum arbitri, nihil bonum, nihil decorum, quod non est Gallicum. Hoc contagium ab Aulâ serpit in Magnates, mox inundabit Poloniam, ni maturè sapias charissima Patria. Nonne Condeus Princeps vivente Rege Casimiro, contra jura Regni ascendisset solium [nisi Nobilitas maturè restitisset] decepto Częstochoviæ subscriptionibus Senatu? Nonne decepto Rege Casimiro, & oblivioni dante carcerem Gallicum, hæreditarij Regni per pacta Olivensia ereptionem, & centum millibus extensam Livoniam mediatione Gallicâ tandem ad abdicationem adductum; Mediomatrici regaliter receptum, mox in Gallijs non succedente ex voto Electione neglectum; & ex desperatione de pulchro Hospitali cogitantem, tandem audivimus mortuum, non moriente cum eo Indole Polonâ, quæ eum postliminiò reduxit, & majorum cineribus apposuit.

Quartò. Sed jam ad promissa Gallica redeamus. Misisse Galliam ante triginta annos, duos milliones per Abbatem Fantonium impetratos, in Polonia seminandos; sed non lilia, quia lolia pro semente habuit. Promisit per Palatinum Rey longè minorem sementem pro exercitu, victoriam sperante Reginâ; sed cùm hæc seminatio, tam ad Clarum Montem, quàm ad Palczynum, stragem militum Galliæ militantium produxit, securitate Reipublicæ in Comitijs opus erat, pro illa pecunia Reginæ antefacta. En Gallica promissa, fructus & eventus. Alia promissa erant cum Principe Longevillano ad detrudendum Michaëlem Regem, sed hæc cum vita Principis illius in bello cadentis evanuerunt. Tertio loco promissa erant sub Rege Joanne pro bello sacro expetita, misso Legato, qui consumptis decem millibus Ungaricalium ea retulit: quòd tantus Monarcha, reliquorum Principum erat superaturus liberalitatem præfixo tempore. Unde cùm singulis annis, à Summo Pontifice propè singulos milliones habuimus, ab Imperatore primâ vice ultra millionem accepimus, à binis Galliarum Legatis audivimus, pecuniam jam Hamburgi locatam pro nobis esse. Tandem in termino post Neomagensem pacem factam, misimus Legatum Regni Cancellarium, & proximitate matrimonij Regi nostro junctum: iterum decem millia ungaricalium impendimus, tandem percepimus primam legationem nostram Gallos quidem, privatos Legati nostri milliones accepisse pro venditione bonorum suorum, nobis tantùm promisisse Gallicos milliones. Alterâ legatione peculium nostrum æquè consumptum ut priori: Galliam contentam ex deprecatione pro læsione Marchionis Vitry, nullâ ampliùs mentione factâ promissorum; Nos tamen Virum magnum & amantem Patriæ perdidimus, spe quâ lactabamur vacui. Sed ecce iterum Gallica promissa; pro novo Candidato milliones offert solvendo militi confæderato. Inaudita liberalitas & meritò suspecta, si Gallis eadem præsentaretur, papyraceas schedulas militi suo numerantib⁹ præsenti necessitate, an acceptaret hanc eleemosynam, hanc stipem? Prudens est Gallia, indignum crederet & sibi injuriosum donum simile,

 nisi

nisi se ad incitas redactam profiteatur. Ergo Polonos hâc oblatione miseros, calamitosos credit? Injuriam facit, luxum Genti & militiæ induxit, quem à seipsa expulit, ejecit, nullibi in Europa receptum, nisi in Polonia; hìc nutriendum sperat, & clamantem credit: affer, affer, ut malè cauti Poloni, abolitis legibus Patrijs, contra hanc pestem, quæ domi forisque grassatur, pretiosum unionem Coronæ suæ tandem vendant: cùm interea jam decrevit Polonia proprio ære hìc & nunc solvendum militem, ne venalis fiat ambitioni externæ, cùm adhuc se novit nisi solo luxu depauperatam, singulis annis restaurandam, in tanta qua pollet rerum copia nascentium quotannis frugum. Constans est & magnorum Virorum judicium & à pluribus annis propositum, nec hucusque acceptatum: si liquidum Poloniæ & Lithvaniæ elementum biræ, universaliter contributioni subijceremus, singulis diebus eam numeraremus pecuniam, quæ absolveret ab omni alia populũ aggravatione, cujus clamor ad Deum ferit sidera, & ideo non prosperamur maledictione Dei. Hamata igitur non amata sunt Galliæ dona. Ergo Danaos & dona ferentes timeamus. An Reges Angliæ, Daniæ, & Sveciæ, imò & Poloniæ Gallicorum donorum non pœnituit? An non Electores Imperij & Principes, qui diuturno bello nunc exhauriuntur, Gallicis priùs inescati pensionibus?

Quintò. Electio Nostra, cùm sit omnium & singulorum simul, nemine contradicente, omnibus consentientibus; ergo debet esse unanimis, concors, & in Spiritu Sancto congregata. Si discola, si discors, non erit Electio unius, sed intrusio plurium, quos inter Victor dabit leges, nec accipiet à Polonis pacta. Ergo amissam lugebimus libertatem, duram posteritati nostræ relinquemus servitutem, vel dividemur plures inter Dominos contemptibiles servi, quod Deus avertat; ut jam bis à Majoribus nostris avertit in Electione Stephani & Maximiliani Imperatoris, & in Electione Sigismundi cum Maximiliano Archiduce. Unde memores Divinæ gratiæ, ultimis Electionibus noluimus tentare Deum, servavimus unitatem universi, & si aliqui nostrûm, aures externorum dedimus suggestioni, noluit Nobilitas factionibus exterorum non assveta, sorte suâ contenta, ire in bivium, cadere in victimam externorum ambitioni, pretium sangvinis accipere ex manibus Legatorum, & illud mittere in corbonam. Ideò Divinitùs respexit Dominus Nobilium corda, & Magnatum animos armatos ita confudit, ut terribilor ipsis appareret Nobilitas, quàm propriæ phalanges, & in finibus Regni exterorum subsidia. Unde ad instar miraculi electus Michaël, recognovimus omnes, Quis ut Deus? In altera Electione unum identidem elegimus, & gratiam Dei in Joanne agnovimus, quia bello Civili non consumpti. Ergo ut est dulce inexpertis bellum Civile, ita experti illud vitabimus, tot internis divisionibus præmoniti, Confæderationibus exercituum, Tartarorum & Cosacorum minis. Hæc omnia nos præmonent, edocent, ut caveamus iram Dei: minantur ut eandem deprecemur: divisionem indigitant, ut ad unionem curramus: diluvia sangvinis promittunt, ut fugiamus in montes Divinæ humanæque Sapientiæ.

Ultimariè itaque reflectamur super eo, qualis fuit antea Patria nostra, qualis modò est. Modestè & fortiter sub Monarchis educata, post Sigismundum Augustum Virago in lucem prodiens, ora & oculos in se convertit, paranymphos prudens audivit, & procos admisit ut sapiens, ut decora: Tandem ad senium inclinata, à Rege Casimiro dimissa cum dolore suo, sumpsit Civem Regale ad solium, eâ conditione, ut juramento obligaretur se nunquam dimittendam; illo brevi obeunte vel fatiscente, iterum non externum sed Civem respexit, qui apud se natus, educatus, juribus suis assvefactus, ijsdemque parere doctus, eam susciperet, juramentum tandem vinculi sui deprecatus tam firmiter, ut consentiente eâdem Republicâ, ab eo liberaretur, eò quod diffiteri non poterat eadem Respub. legum suarum inobservantiam, quarum alias jam antiquatas, recentes contaminatas, libertatem minui, licentiam crescere, mensuram Juris, vim esse in Magnatibus, oppressionem in pauperibus, quibus non erat adjutor. Sessiones Thronicas, ceu turricas, graves, â quibus ne quadrante licet abesse soli Regi, quod licet Magnatibus, & Nuncijs terrestribus. Sancitorum executio penè nulla, interpretatio varia, densæ constitutionum sylvæ, legum potestas & robur debile. Ideoque vasti ille animi Princeps, non raró admittebat cogitationes proprię eliberationis ab hoc nexu, videns leges, & mores Patriæ, in dies ruere: & hoc inter suspiria non raró intimi ejus percipiebant, quomodo benè nota patientia ejus, indefessa bello paceq; sapientia, longanimitas immensa, incomparabilis bonitas, ubi semel defecit, ad hæc extrema ducebat.

Faciamus

Faciamus ergo consequentiam, de eligendo Principe, toto cælo â nobis distante, an nostros mores tolerabit? an nos Ipsius? an ille qui assvevit ad magnalia agenda in Patriâ suâ, solum Deum & Monarcham suum sibi superiorem agnoscendo, se aliquando possibilem tantæ Monarchiæ successorem? Jam in Polonia novum vivendi genus profitebitur. Correges ultra centum viginti in Senatu, ultra ducentos in Equestri Ordine, quibuscum deliberare & concludere, statuta & constitutiones firmâ tenere memoriâ, audientias Senatoribus sedendo dare, Proceribus Equestris Ordinis stando, infinitas petitiones auscultando, & cum Doctore Gentium dicendo: vivo ego iam non ego; sed vivit in me populus ingens, populus non unius labij. Vacat plerumque crebra liberalitatis Regiæ occasio, decem competitores currunt, merita sua & Natalium splendorem exponendo: Si Rex deliberaverit, & uni tandem quod multi petunt dederit, unum amicum parat, novem concurrentes cum suis Familijs offendit, quòd hunc, cui dedit, cæteris prætulerit. Adde, quod Princeps ille Gallus ad ardua per saxa & ignes promptus & alacris prorumpit: In Polonia verò suspenso & lento passu ducuntur Reges. O quanta patientia? quantum cordolium? quanta indignatio? Unde felicitatis nostræ est, quòd Regiam prolem ad hæc martyria assvefieri credamus, magni Patris vestigio. Hæc pro libertate Senatoriâ, pro ingenuitate Polonâ, non placendi studio, dicta sunto, sed præcavendi desiderio; ne Patriæ nostræ serum pœnitere, vel Serenissimis Candidatis superveniat; si voluerint Hispanum illum præmonentem Monarcham aspernari, qui diademati inscripsit:

TOLLAT, QVI NON NOVIT.

